

375 praeterea forma et aetas ipsast facile ut prō eūnucho probes.

*CH.* dixti pulchre : numquam vidi meliu' consilium dari. 85  
age eamus intro nunciam : orna me abduc duc quantum  
potest.

*PA.* quid agi' ? iocabar equidem. *CH.* garris. *PA.* perii,  
quid ego egi miser !

quo trudi' ? perculeris iam tu me. tibi equidem dico, mane.

380 *CH.* eamu'. *PA.* pergin ? *CH.* certumst. *PA.* vidē ne  
nimium calidum hoc sit modo.

*CH.* non est profecto : sine. *PA.* at enim istaec in me 90  
cudetur faba. *CH.* ah.

*PA.* flagitium facimus. *CH.* an id flagitiumst si in domum  
meretriciam

deducar et illis crucibu', quae nos nostramque adulescentiam  
habent despiciatam et quae nos semper omnibus cruciant  
modis,

385 nunc referam gratiam atque eas itidem fallam, ut ab is  
fallimur ?

an potius haec patri aequomst fieri ut a me ludatur dolis ? 95  
quod qui rescierint, culpent ; illud merito factum omnes  
putent.

*PA.* quid istic ? si certumst facere, facias ; verum ne post  
conferas

culpam in me. *CH.* non faciam. *PA.* iubesne ? *CH.*  
iubeam ? cogo atque impero :

390 numquam defugiam auctoritatem. sequere. *PA.* di vortant  
bene !